



*M*arcion quoque¹ à quo Marcionitæ sunt, qui Cerdonis secutus est² dogmata de duobus principiis: quauis Epiphanius eum tria dicat asseruisse principia, bonū, iustum, prauum. Sed Eusebius³ Synerum quendam, non Marcionem, trium principiorum atque naturarum scribit autorem.

I *A quo Marcionitæ.*) Marcionitæ an Marcionitæ dici debeāt, quæri potest, & utroque modo tum à Græcis tum à Latinis scriptoribus appellantur: melius tamen & analogiæ aliorum nominatorum conuenientius Marcionitæ nominantur, quemadmodum à Tertulliano passim. Fuit autem hæc hæresis nocentissima Cerdoniani seminis seges, qua tetriorem & Ecclesiæ Dei pestilentio-rem antea non produxerat Satan: sed paulatim creuit ipsius Satanæ improbitas, & ut ita dicam, ingenium: quòd fidem nostram tentando, & subinde nouos errores gignendo videtur in dies euasisse subtilior & acutior Satan, adeò ut iam maioribus viribus & robustiori fraude se suaque venena seminare & tueretur. Itaque Marcion hic, à quo dicti sunt Marcionitæ, & serpens & lupo Ecclesiæ, & primogenitus Diaboli appellatus est, etiã à Polycarpo ipso Ioannis Euangelistæ discipulo, ut refert Irenæus lib. 3. c. 3. Euseb. lib. 5. c. 13. Vulgò autem in contemptum totius sectæ idem Marcion Ponticus & nauta & nauclerus appellabatur, quemadmodum ab Irenæo lib. 1. c. 29. Tertulliano, Iustino, Clemēte & Euseb. lib. 4. c. 11. Fuit igitur hic Marcio Cerdonis discipulus, quem Romæ vidit, & cum eo familiariter conuersatus, illius furores auxit, natione Pontic-

Ponti-